



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Romæ simul omnes de Societate constituenda deliberant. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

tem gloria, ante oculos positum vidit inter quos & Hozius aderat, splendidiore quàm reliqui, habitu, gloriaque multo illustriore, non quòd sanctior ille cæteris, aut beator esset: sed quòd Deus gloriam hominis, per insigniorem hanc formam, compertam Ignatio (vt ipsemet referebat) testatamque esse voluisset. Qua ex re, tanta animi lætitia completus, eius animus est, vt per multos dies suauissimum ex recollectione fletum reprimere non posset.

*ROMAE SIMVL OMNES DE  
Societate constituenda deliberant.*

## CAPVT XIII.

**C**ommotis populis, apud quos vixerant, & ciuitatibus ad pietatē incitatis, ad mediam Quadragesimam anno 1538. Romam Patres omnes ad Ignatium conueniunt: in domum, vineamque Quirini Garzonij, pij viri, quæ non procul à sanctissimæ Trinitatis Minimorum Cœnobio sita est, diuertunt: ibi magna egestate, pane in diem quæsito, viuunt: concionari deinde incipiunt: Ignatius Hispanicè in templo beatæ Marię Montis Ser-

ran

rati dicato, Faber in diui Laurentij in  
 Damaso, Laines in Saluatoris ad Lau-  
 rû, Salmeron in diuæ Luciae, Claudi-  
 us in diui Ludouici, Simon in diui An-  
 geli ad forû Piscarium, Bobadilla in di-  
 ui Celsi. His cōcionibus effectum est,  
 vt populus longo interuallo ad Con-  
 fessionis atque Eucharistiæ Sacramen-  
 ta piè frequentanda moueretur. Ex  
 quo prisca illa, & sanctissima sæpius  
 peccata confitendi & communicandi  
 consuetudo, tot iam sæculis intermis-  
 sa, tum primùm in vrbe reuocari co-  
 pta est. Præterea, Hierosolymitana  
 profectonis spe deiecti, pecuniæ eam  
 summam, quam in viaticum accepe-  
 rant, ei, à quo acceperant, integram  
 restituant. Et cùm discessus, summi  
 Pontificis iussu, varias in partes non-  
 nullis instaret, de Societate etiã coe-  
 da inter se, vitaq; in posterû cōstituen-  
 da, deliberant: decernuntq; in primis  
 omniũ consensu, in orationes, medi-  
 tationes, ac Sacrificia, solito feruenti-  
 us incumbere & gratiã ab illo recte  
 & sancta statuendi efflagitare, qui  
 nulli denegat spiritum bonũ petenti  
 sed dat omnib; affluenter, nulli impro-  
 peras. Interdiu proximorũ salutis, imp-  
 grè nauabãt operam, noctu orationi-  
 coo

*Jacob. 8.*

consultationi vacabant. Prima igitur  
cōsultationis nocte, quæsitū est, num  
cū digressi à se inuicem essent, & in  
varias disianctasq; regiones à summo  
Pōtifice missi, ita inter se deuincti, &  
mutua caritate colligati, in vno corpo  
re esse deberēt, vt alij aliorū curā gere  
rent, & nulla quantalibet corporū se  
iunctio, neq; mutux curæ, neq; solici  
tudinis, nedum amoris seiunctionē ef  
ficeret? Communi omnium consensu  
decretum est, agnoscendum esse Dei  
beneficium, qui homines ex tā diuer  
sis prouincijs, moribus, ingenijs, con  
ditionibus in vnum corpus, summam  
que animorum consensionem con  
spirare voluisset: neque eius coniun  
ctionem mirabiliter consentientem,  
disiungendam esse: aut vnitatem di  
scindendam, cuius virtus robustior  
semper est ad capessenda ardua, & per  
sequenda, & ad aduersa omnia sustinē  
da & propulsāda. Secūdo loco propo  
situm est, an paupertatis & castitatis  
perpetuæ votis, coram sedis Apostoli  
cæ legato, à se Venetijs iam tum nun  
cupatis, expediret, tertium obedientiæ  
perpetuæ addere; & aliquem eligere,  
qui toti? Societatis caput esset, & parēs?  
In hoc nodo expediendo, diu multūq;  
labo

laboratum est. Denique nonnulla sunt illis excogitata, & suscepta ad facilitatem propositę difficultatis explicationem. Primum fuit, vt nihil de summa orandi Dominum, precandique contentione remitterent: sed in hoc vnũ toto pectore incumberent, vt gaudiũ & pacem in Spiritu sancto inuenirent in obedientia, & quantum in se esset, voluntatem haberent ad parandum, quàm ad imperandum propensio- rem. Alterum, ne inter se hac de re colloquerentur, ne quis consilio fortasse cuiusquam, aut persuasione, in alterutra partem penderet. Tertium, vt cogitatione se quisque ab hac cõgregatione seuocaret, & quasi alienum omninò hominem duceret, vt affectibus, qui incorruptè de rebus iudicaret non sinunt, sepositis, sincera omnis deliberatio esset. Ad extremum multis rationibus, quas enumerare lōgum esset, maximeque vt pro suo modulo similes essent capiti Christo, qui ne obedientiam perderet, perdidit vitã, factus obediens vsq; ad mortem, mortẽ autẽ crucis, & eam virtutem retineret, quę precipua in statu Religionis, ac maxima est: sequerenturque omninò Spiritus sancti afflatum, ad perfectionẽ ipsos  
& om.

*Phil. 2.*

& omnibus numeris absolutam suam victoriam  
 excitantem: omnes una mente, uno ore  
 decreuerunt retinendam in primis  
 in Societate obedientiam esse: & aliquem  
 eligendum, qui uniuersae Societati pre-  
 positus esset, cui omnes iudicia, volun-  
 tatesque suas submitterent. Hac eadem  
 ratione alia multa sunt per tres men-  
 ses summo studio à Patribus constitu-  
 ta, & maxima animorum consensio-  
 ne definita, cuiusmodi sunt quae se-  
 quuntur. Quicumque profitebuntur, votum  
 expressum obedientiae nuncupent, quo  
 sese ad quascumque provincias fidelium in-  
 fideliumve mittantur, paratos summo  
 Pontifici offerant. De missione autem nihil  
 vel per se, vel per alium, cum eodem  
 Pontifice agant. Pueros rudimenta fi-  
 dei Christianae doceant. Qui in Socie-  
 tem adscribi voluerint, exercitationi-  
 bus spiritualibus, peregrinatione, xeno-  
 dochijs probentur. Praepositus Genera-  
 lis perpetuus esto. In consilijs, ac deli-  
 berationibus, maior sententiarum pars  
 esto superior: & alia id genus nonnulla  
 Ex quibus extitit formula instituti So-  
 cietatis ea, quam postea sibi pro-  
 positam summus Pontifex  
 comprobauit.

(\*)

M.A.